T.L.B.

Ornatiss.mo Celeberrimoq. uiro P. M. Mersenno
E. Torricellius. S.

Aegre fero uitrum meum, quod Clar.mo Viro Magiotto miseram ab alio uitro superari. Sed dabo aliquando operam ne superetur semper. Ex optimis apud me nullum habeo, neque habere possum ob penuriam primae materiae, quae si quando haberi potest uel exigua, quolibet adamante pretiosior est. Quod ego addidi in fine libelli mei, uerum est non de omnibus, sed tantum de aliquibus, ijsq. perfectissimis uitris quae apud Ser.mum Magnum Ducem sunt. Inuentum meum, et diligentia licet haec suprema sit, illudq. demonstrationem habeat Geometricam, nihil unquam efficiet boni nisi adiuuante materia. quando haec ab omni parte perfecta sit tunc fructus inuenti mei manifeste apparebit. Curabo ut ad te perferatur unum, fortasse et alterum ex meis uitris, (plura enim non habeo) ut experiaris quorum teste, etiam Magiotto, unum magis probem. deinde conueniet nobis. displicet mihi non posse hoc fragile munusculum offerre ea liberalitate qua optarem, et qua deberem, praecipue erga tantum uirum, ob paupertatem meam. Perlegi iam libellum quem ad me misisti, de quo uix iudicium meum proferre ausim. Multa in eo placent, sed non omnia. deinde credam ego (affirmantibus uobis) ex barbaro Codice descriptum et emendatum fuisse, sed non ideo credam ab ipso Aristarcho descendisse. Quicquid est, magni quidem et philosophi, et Astronomi inuentum est. Nugas Geometricas, quas ex me petis, mitto. Hoc unum oro, ne demonstrationes ipsas in Galliam maximis Geometris mittas; nimis enim pueriles sunt. Si placuerit conclusiones tantum mittere poteris hoc modo.

953/1 sale 1865 or 6

Maximum rectangulum quod contineri possit sub semicircu vel semiellipsis perpendiculari, et altero segmentorum a illud est cuius alterum latus continet $\frac{3}{4}$ ipsius axis.

Max.ª superficies cylindrica quæ intra sphæram describi possit, ea est cuius rectangulum sub axe, quadratum est.

Quæ vero in sphæroide oblonga, ea est cuius basis diameter ad diametrum sphæroidis sit ut latus quadrati alicuius ad propriam diametrum. In sphæroide vero prolata, ea est cuius axis ad axem sphæroidis sit in ratione prædicta.

Quæ vero in conoide parabolico ea est cuius altitudo ad altitudinem conoidis sit subsesquialtera. At quæ in fuso parabolico ea est cuius basis ad maximum fusi circulum sit ut 4 ad 9 ~~[illegible]~~ Demonstrationes sine locis solidis sunt apud Celeberrimum Virum M. Mersennum.

Equidem pro certo habeo omnia hæc theoremata cum innumeris aliis elegantioribus et universalioribus demonstrata fuisse a Clar.mis Geometris Gallis. Ego satis superque laudis referam nisi dedignentur grandibus ipsorum ausis tenues subrepere conatus meos. Vale. Dat. Flor.tiæ Die 9 Januarij anni 1645.

De' Comentarij della Lingua Italiana del Sig. Girolamo Ruscelli Viterbese
Venetijs 1602. Damiano Zenaro